

V g
1324



Q
A

67

131.



Q. 195. (19)
Q. 195

Vg
1324

Querela
D. MARTINI
LUTERI, SEV
SOMNIUM.

672.



CLEMENTIS A L.

ἀνίκητος ἢ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται.

GORLICII

Ambrosius Fritsch excudebat.

Anno

M. D. Lxxk.

Bl. 735

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(S. 111)

Q V E R E L A M A R
T I N I L U T E R I,
S E V S O M N I V M.



VM quodam tempore, iam
anno ad æquinoctium autu-
mni declinante, iter facerẽ,
multa, ut sit, cogitanti mihi,
& varia, quòd comitatus col-
loquio idoneus non esset, in
mentem venerunt: inter quæ
præcipua erant, etatis nostræ
multiplices confusiones, quarum consideratione inter-
dum me grauitè perturbari sentiebam. Intelligere au-
tem mihi videbar rei Ecclesiasticæ peruersionem, impe-
riorum etiam labefactionis causas complecti, ut non
possem non accusare interdum animo meo autores muta-
tionum earum, quibus Respub. tantoperè affligeretur. Ac-
querebam mecum, quos nam illos esse perhiberi oportere-
ret, cum non ignorarem alios ab alijs culpari. Occurre-
bant autem potissimum ea negotia, quæ Martini Lute-
ri contentionibus commota essent, quòd in hunc, quasi ar-
ticulum mutationis, pristinus rerum status & cursus æ-
tatis nostræ videretur esse delatus. Atq; noctu fessus de-
via, postea accubans ita obdormiui. Cum mihi per-
quietem ea, de quibus vigilans cogitaram, representa-

A 2 ta, &

ta, & somniorum consimilia visa oblata fuerunt: quæ
ijs mensibus, quibus folia arborum cadunt, scimus cre-
briora & mirabiliora cerni solere. Videbar autem
tum videre Martinum Luterum, qui coram me asti-
tisset, non eo vultu quo sæpe eum antè in vita conspex-
eram, vel hilaritatis aliquid, vel etiam confidentiæ præ-
seferente, sed cùm tristi, tum quodammodo desperabun-
do. Ibi ego ita visus sum compellare illum: Optatus,
inquam, aduenis ô Lutere. nam negotia difficiliora sunt
indies, & minor est copia eorum, qui tractare illa sciant.
Tuus autem amicus Melanchthon, & laboribus & cu-
ris consumitur. In quem tanquam signum propositum,
hinc inde emittunt quasi sagittas, aut hastas impetus sui
omnes, si fortè aspiret hunc successum fortuna, ut illum
ingulent, & hæc gloria contingat victoribus. nam ducunt
Hoc alios vno sublato pro nihilo omnes,
ut de Ulysse ait Agelaus Homericus. Sed quæ res, aut
qui casus te tristem & sollicitum reddit? obsecro. Nam
vix unquam, cùm cogito, videor te vidisse tali vultu.
Itaq; & miror & vereor, quid sit. Hæc cùm dixissem,
ille palma deterfis, ut viuus solebat, genis, & oculis di-
rectis me intuens: Ecquid censes, inquit, posse me animo
esse bono, aut non admodum potius consternari, ijs euen-
tus, quæ & initia doctrinæ statim, & meam è terris de-
cessionem celerrimè sunt consecuta? Quibus certè scio &
te & alios bonos plurimos vehementer angi animis. Sed
ut ordiar à primis, an non doleat mihi, ita statim inci-
pien-

pietatem me medicari illa vitia, quæ in corpore Ecclesiastico turpitudine & fœditate erant conspicua, acceptum fuisse, ut omnes fermè aduersando mihi cum sua saluti malè consulere, tum posteritati interitum accelerarent? qui & mala morborum redderent asperiora magisq; incurabilia, & medicinam cogerent esse immitiorem & magis sæuam. Quemadmodum sæpè fieri scimus, ut, cum alijs remedijs nihil proficitur, ferrum & ignis expediatur atq; usurpetur. Nam si quis existimat, me illa inclementia delectatum fuisse, is valdè errat. Et sunt in medio inchoatæ medicationes, de quibus facile cognosci potest consilium & voluntas mea. planè enim accidit de corpore Ecclesiastico, quod in vitiosis & malè temperatis hominum, accidere consuevit: ut dum initio repudiatur opéra fidelis medici, & non admittuntur salutare subiectiones recuperandi sanitatem & emendandi vitia, fiat morbus vel prorsus incurabilis, vel admodum curatu difficilis. Quin id etiam factum fuit, quod fabula Æsopica narrat, hoc modo: Conduxerat quidam portorium ad amnem, qua pons transitum præbuit, hac conditione, ut illac iter facientes singuli singulis vitijs persoluerent nummum unum. Aduenit quidam scabiosus & maculosus facie, ab illo petitur portorium nummi unius, ut erat constitutum. Qui cum recusaret, accurrit portitor, & pignoris loco detrahit viatori pileum, atq; ibi apparet in caluicie alterum vitium alopecia. Ergo duos, inquit, iam nummos solues. Mi-

nimè, inquit viator: & luctari incipit. Cumq̄ proster-
neretur à validiore altero, conspicitur etiam deiecta
veste hernia. Tres igitur, inquit portitor, iam nummos
peto: quos ille, qui unum initiò noluerat, tum numera-
re coactus fuit. Reprehendebantur à me errores manio-
festi & noti: superstitio & questus de emta spe & opinio-
ne benevolentiae diuinae, & sine aut saltem mitigatione
supplicij post mortem, tam sibi quàm suis concilianda.
Ostendi ista non posse consistere. Pollicitus fui me in ad-
iuuanda emendatione non esse de futurum publicae utili-
tati. Repudiata & explosa fuere omnia: idq̄ ne ferre
possem, exoriri statim, vel subornari potius, qui absurda
absurdis accumulantes, malum, ut dicitur, malo sana-
re aggredierentur. Ex eo iam deinde nata fuere caetera
incommoda, vel ea potius infelicitas quae est consecuta.
Multa tum signa & prodigia mouere potuerunt statum
Ecclesiasticum, sibi ut cauerent, ne in stimulos calces
impingerent. Sed neq̄ oculis aspicere, neq̄ audire auri-
bus voluerunt. Quinetiam indies redditi fuere acerbio-
es. Diceret aliquis, aliquid perperam, aut non vera
ratione geri ac administrari, arriperetur statim ad tor-
menta. faceret verò etiam contra voluntatem retinen-
tium patefactos errores, & perseveraret in veritatis as-
sertione, interficeretur per exquisitos suppliciorum crucia-
tus. Quae cum animaduernerem, quod & pepercisse
atq̄ cessasse, & rursus conflictatus rixando aduersarijs
atis diu multumq̄ viderer fuisse, hos quidem relinquen-
dos &

dos & ab eis recedendum esse statui: ac duxi videndum,
ut instituerem cætus & amantes veritatis, & secundum
hanc tam doctrinam explicantes, quam administrantes cætera. In hoc non omnem operam me lusisse existi-
stimo. Nam de mea admonitione & Ecclesia multis in
locis ad formam meliorem redacta, & studia bonarum
artium emendata, & vita communis correctæ fuit.
Neque non sanè à nostris, vel negligenter, vel perperam
alicubi res administrata, & multa commissa sunt digna
animaduersione. Sed processit tamen negotium, & de-
monstrati errores à multis abiecti, & ad normam do-
ctrinæ cælestis vita reducta, & in viam veritatis re-
ditum fuit, principum animis conuersis ad studium, tam
Ecclesias constituendi, quam scholas augendi, ut & æ-
ternus Deus piè & religiosè coleretur, & animi conueni-
ente institutione prepararentur ad rei tam publicæ quam
priuati utilem administrationem. Quæ donec fideliter
& diligenter seruata fuerunt, neque fraude occulta labefie-
ri, neque vi manifesta euerti potuerunt: fremere & fure-
re multi, & interdum de nostris aliquos vel insidijs ex-
ceptos, vel vi iniusta oppressos decerpere & remouere,
animis crudeliter contra veritatem grassantibus, & pro
erroribus atque mendacijs dimicantibus. Creuit tamen
quasi herba doctrinæ, ut nemo non uberem segetem de
nostra quasi semente speraret. Neque huius mundi vel
calliditas, vel potentia, progressiones doctrinæ cælestis
impedire, aut cohibere potuit. Noti sunt varij conatus,
delibe-

deliberationes, aggressiones, ausus, tam sagacitatis,
quàm violentiæ humanæ. Hæc pondera fuere imposita
palma. Usq; adeo enim non fracta, neq; depressa fuit do-
ctrina Veritatis, ut contra urgentes etiam illa enitere-
tur & efferretur. Nihil nocuit neq; regum atq; princi-
pum concursus, nihil instigatio hominum cupidorum &
improborum. Nulle minæ, nulla fraudes, nulla machi-
nationes opt. causam, donec vero ordine acta fuit, affli-
xerunt. Atq; mirabiliter interdum quasi impressiones
hostiles debilitatas, & diuinitus auersas fuisse constat.
De quibus copiose narrari multa possent: quæ cum & no-
ta sint omnibus, & à diligentioribus accuratè teneantur
memoria, verbosius nunc commemorare nolo. Acci-
dit autem idem quod antè sæpè, ut iam rebus prosperis et
fluentibus ad voluntatem, homines insolescerent: & suis
etiam viribus, suæq; sapientiæ aliquid tribuere, & tan-
dem confidere quoq; ac niti inciperent. Tum vitia no-
minibus virtutum ornari. Et qui constantes, firmi, re-
ligiosi perhibebantur, i; re ipsa inueniri peruicaces, super-
bi, vehementes, & religionis prætextu, cum de suis cupi-
ditatibus decertantes, tum alijs quibus suis ambitiosè re-
pugnantes. ita sensim & vera in Deum fiducia cæpit
labascere, & doctrina veritatis negligi, & alia undiq;
præsidia auxiliaq; circumspici ac queri, tam ut quisque
tutus esse, quàm ut alios, à quibus metus impenderet,
posset euertere. Quibus quidem temporibus, cum causse
calamitosorum euentuum essent accumulata, ego à propi-
tia

*Ab
patri Flaciano
rescripto unius
celestis in p[ro]p[ri]o*

tio DEO euocatus ex hac vita, infelices terras & miseram Germaniam reliqui. Quid ego verò referam quæ deinceps quasi conspiratio fuerit ad fatales casus, vel commouendos & accelerandos, vel reddendos tristiores & asperiores? Hæc igitur omittam: ambitionis inquam infinita studia, principatus appetitionem, odij immanitatem: charitatis tam patriæ, quam mutue inter ciues exterminationem. Cum iam non quid rectum, iustum, pium, laudabile esset cogitaretur, sed ad id obtinendum, quod animus cupiditate ardens concupiuisset, omnes nerui consiliorum actionumq; intenderentur: tum scimus, nihil tam absurde inceptum esse, nihil gestum tam improbè, quin à calliditatis versutia patrocinium inueniret, ut confusis sententijs pronunciari simpliciter non posset, quid bonum, quid malum videretur esse dicendum. Sed hæc, ut dixi, omittam. Quid meus peculiaris cætus, & quasi quedam posteritatis soboles, quam celeriter oblita originis suæ, quam turpiter magna ex parte degenerauit? Quibus maculis deformem reddiderunt doctrinam? quot modis causam corruerunt? quantarum fuerunt offensionum autores? De quibus tu quidem incipiens queri cæpisti. Ego verò angor, & incredibili dolore afficior, quem meus vultus declarat. Nam cum recordor, quam studiosè & gnauiter cura & diligentia piæ eruditionis doctrina Ecclesiæ tam explicata fuerit, quam constituta, me monstrante & proferente, quantoperè excruciarî existimas? videntem optimè &

*Ecclesiæ gloriæ
omnis caligat*

*Flacianus
suasoria*

B

pra-

*Reformationis
notionem*

praclarissimè fundatam & luculentè perfectā extructio-
nem, audacissimis manib. prae textu elaborationis labefie-
ri, quibusdam per errorem, quibusdā malitia, quibusdam
amentia (dicendum. n. est verū) eas res exulcerantibus,
quibus consensione omnium & communi studio medicinā
queri oportebat. Quasi verò hoc ego voluerim, ne ullo
unquā tempore quies & tranquillitas esse posset. Qui qui-
dem, ita Deo volente, fatalis cuiusdam conuersionis im-
pulsor fui, & in aduersatione prudentia, atq; opulentiā,
non habui tantum ocij, ut disiecta recolligerem, & euer-
sa instaurarem. Nam mihi standum in acie fuit, con-
serende manus, propulsandus impetus incursionis hosti-
lis, dimicandum pro aris, ut dicitur, & focus. Inter hæc
& turbari multa, & quedam conuelli, & plurima dis-
trahi oportuit. Quæ tamen alij utiliter componere ful-
cireq; & ad formam meliorem redigere non destiterunt:
donec, Dei benignitate, consentaneum doctrina & omni-
bus partibus absolutum corpus, quasi coagmentatum
fuit. me gaudente, & gratias agente filio Dei, λόγῳ καὶ
εἰκόνι eterni patris, à quo unico interprete voluntatis ac
sapientia diuina, & explicatio & stabilitas manat do-
ctrina Ecclesiastica, quæ est doctrina Veritatis cælestis.
Et non dissimulaui, quanti facerem eorum labores, à
quorum erudita pietate ista opera data esset Ecclesie
CHRISTI. Imò & nominatim eos laudauī, & scri-
pta ipsorum approbaui testimonio meo, & studium alijs
commendauī. deniq; hoc egi, ut præ meis libris illorum li-
bri

Hic Th. i. intelligit



bri extarent atq; legerentur. Tantum abfuit, ut dissi-
mularem, quantum illi diligentia industria & attento-
ne pietatis viderentur prestuisse. Sed non diu post de-
cessionem meam turbata Republica, partium dissidia in
Ecclesiam quoq; contentiones & certamina inuexerunt,
cum ego quidem in gubernationem terrenam nunquam
implicare voluerim meorum negotiorum tractationes.
Exorti fuere discipuli doctrinae nostrae, qui increparent
magistros, neq; cauerent quo minus aucupari auram po-
pularem magis, quam veritatem asserere viderentur.
Cum quibus affectione animorum ab alijs seiuncti, con-
iungere se quidam etiam, quos par fuerat esse circumspe-
ctiores, & minus incogitantes. His propositum unum
hoc fuit, pergere turbando, & omnibus quietis consilijs,
ac pacificis rationibus sese opponere, meamq; autoritatem
quasi praescribere suis mirificis sententijs: & eo usq; nego-
tium ventilando deducere, ut ijs qui audirent nocere
meae disputationes, cum loco, occasione, tempore bene di-
cta, ad res & personas diuersas interpretatione mala de-
torquerentur, & ex mea disciplina acerbi insolentesq; &
inflammati quodam prepostero & immodico oppugnan-
di contradicentes, vel etiam non per omnia assertientes,
studio, exire possent. Quin etiam sermones a me cum a-
micis familiariter certis de rebus habitos, annotarunt a-
liqui curiosi, & de illis commentarijs saepe decisionem
grauissimarum disceptationum protulerunt: & mentio-
nem rerum hominumq; habitam, pro suo arbitrio his vel

Flavij & socij

Colloja Lubla
sua.

illis casibus accommodauerunt. Ac compertum est, in
Luterum, tanquam autorem, non pauca conferri, quæ
vel nunquam elocutus fui: vel aliter certè, quàm com-
memorantur, pronunciaui. Fam qui non possum mole-
stissimè ferre, quosdam defensores, ut videri cupiunt,
et propagatores doctrine meæ, id quod à me acerrimè re-
prehensum in alijs fuit, et à me vitatum diligentissimè,
audere atq; committere, ut immisceant sese non modò
in ciuiles administrationes, sed consultationes etiam et
curationes belli? Qui zelo quodam Iudaico non veren-
tur hortatores et instigatores se præbere pertinaciæ et fe-
rociæ hominum, ad ea suscipienda atq; tentanda, quibus
et Rempub. dilacerari, et Ecclesiam CHRISTI ma-
gnis detrimentis affici, et publicè clades, priuatim da-
mna immitti ciuitatibus et regnis necesse est. Ad quæ
ut populares actiones sint, assumunt pretextus defen-
dendi sinceram doctrinam, quam esse videri volunt
meam. Itaq; iam videas solos eos pro egregijs viris ha-
beri, qui strenuè insectari omnes, et qualibet culpam au-
sint. Atq; sunt mea scripta nonnulla vehementia et
dura: quibus inuectos in doctrinam veritatis temerè
quosdam, cum alienos à studio religionis, tum planè in-
doctos refutaui paulò asperius, quòd ita scilicet caussa
posceret, et res ferret. Nam quicumq; animo æquo et in-
corrupto iudicio cognoscere voluerit occasiones scripto-
rum meorum, is vel oportuisse me acerbitatis aliquid u-
surpare statuet: vel certè iritato mihi contumelijs iniu-
stis

Flacianus p.
fuit.

hinc Lutheri scripta
cur uerbositas.

stissimis aduersariorum veniam dabit, & ignoscet non
maledicis conuitijs, sed necessarijs responsionibus meis.
At isti neq; quæ caussa mea fuerit, neq; quæ tempora, neq;
adeò quis ego, considerantes, confidentissimè vociferan-
tur de omnibus, & verbosissimè declamitant ad vulgus,
& se potiozem iam me quisq; haberi postulat. Quod cum
aliqui ingenio, doctrina, asserendi veritatem studio,
consequi nequeant, arripiunt alia, ad quæ non natura,
neq; voluntas me mea, sed improbitas & vesania ad-
uersariorum compulit, ut maledicentia formidabiles
esse quærant. Horum iam & ad plebem tribunitias ple-
riq; conciones habent, & inter cohortes armatas aliqui
vagantur, & bellatores laudant, & animos ad prælian-
dum incitant: ex quibus aliquos in aciem prodijisse, &
suas manus cruore polluisse compertum est, & in castris,
inq; maxima calamitate belli verba fecisse de miseri-
cordia Dei, & merito IESU CHRISTI, & remissio-
ne peccatorum atq; pœnitentia, & vitæ innocentia. Cum
interea & iugularentur crudelissimè insontes, oppida pa-
giq; inflammarentur, exterminarentur pij doctores, va-
starentur Ecclesiæ & Scholæ, parentibus liberi orbaren-
tur, & cædibus, prædationibus, exilijs, Martis in ciues
immanissimè sæuitia grassaretur. At ego sæpè monui,
cauerent omnes, ne aliena secum peccata communica-
rent. Quod isti vel non curant, vel non meminerunt.
Quid quod quidam cateris scilicet religiosiores, commen-
ti fuere noua homines celeriter interficiendi, & accumu-

landi necatos genera, ut et in acie de hastis globi emittē-
terentur, et in oppugnationibus quamplurimi caderent.
Quæ etsi à peritis spreta, et tanquam intempestivi (ut
dicitur) Gallorum cantus, derisa fuerunt: tamen quo
spiritu tales animi agitentur, obscurum esse potest nemi-
ni. Et hi discipulos se meos esse profitentur. Verùm ista
prætereamus: et veniamus ad doctrinam, quæ sola sem-
per mihi cordi fuit. Causa suscepta à me, coëgit non
modò esse me vehementem interdum, sed de multis re-
bus grandius disserere. Nunc ista terrena soboles omnia
bus modis me vincere contendit, ne parum alicubi miri-
ficus, aut nimius Martinus Luterus fuisse videatur. Et
ijs, qui meam doctrinam intelligentes, quadam pia re-
missione, et religiosa simplicitate leniunt atq; mitigant,
grauissimè irascuntur. Nolunt quicquam vel explica-
ri, vel concinnari, vel distingui. sed dissidia augeri vo-
lunt, odia intendi, et undiq; turbari quietem et pacem.
Itaq; nihil non est ὑπερβολὴ ὑπερβολῶν, quod ab istis profer-
tur. Docui ego fideliter, amissam iustitiam recuperari
sola fide in filium Dei. Ita enim secundum Ecclesiasti-
cam consuetudinem, exposui Pauli doctrinam. Non
tamen indiligens fui in disputationibus de disciplina et
sanctitate atq; innocentia vite, et mutue caritatis cu-
stodia, et exercitatione pietatis. itaque exortum quon-
dam dogma legibus diuinis contrarium, acerrimè confu-
taui, cum ἀντινόμος etiam assertores illius appellarem.
Non altercationem aut litem mouere volui, neq; me si-
mul

imie Lutheri.

ustificatio

mul atque alios torquere controuersia uerborum, ne contentiosus magis, quam ueritatis esse cupidus uideri possem. Sed postea, quanta de uocabulis certamina extiterunt? quò uerò processit rixarum absurditas? omnes qui moderatè et exquisitè de re ipsa differerent, spreti, derisq₃, atque etiam erroris condemnati fuere. Diceret aliquis rem explanari oportere et distingui, exploderetur et repudiaretur. Semel enim isti retinere tanquam claudi pilam arreptam, quod audissent, et sibi utile esse arbitrarentur. Iam hoc quale esse dicam? quod omnium quæ cuique in mentem uenerunt, comprobationes de meis libris iam etiam ab inimicis petuntur. Optaui ego aliquando omnia mea scripta intercidere, et unum modò libellum durare, quo cum Erasmo Roterodamo de arbitrio uoluntatis humane disputauim. nam cum ille uir esset doctissimus, et ingenio præstaret ceteris, necnon pro callido in primis haberetur, placebat tum mihi, ita humanam sapientiam offendisse, ut non animaduerteteret neque uideret talis et tantus uir, qua de re esset controuersia. Sed tum illud uotum aliò tendebat. Nunc uerò, si de meis libris sententiæ decerptæ, stabilire mirabiles opiniones debeant, hominum non querentium quid uerum sit, sed quid plausibiliter pro re nata dicatur: quanto erat æquius huc dirigere uoti prioris consilium, et nunc etiam optare, ut mea scripta extarent nulla? Docui accuratè et sedulò, unumquemque suo loco curare debere: neque eò quò non uocatus esset, procur-

*Abusus autem
Lutheri*

*Libro Lutheri de
arbitrio contra
mum.*

Vocationis officii

*graphica Smid
lin d'oscipio*

procurrere. At nunc præclarum habetur, si admisce-
re se aliquis negotijs & muneribus alienis ausit, & quo-
dam Apostolico ritu generalem sibi sumere respectum
consiliorum & actionum quarumcunq;: quamvis neque
autoritatem diuinitus sibi hanc contigisse demonstratur,
neque concessione humana tributam esse constet: quam
tamen etiam acerrimè oppugnant, cum ipsi vicissim à se
introducere conentur. Docui, necessarios esse, in ijs qui
reconciliati essent Deo per fidem, conatus obædientia, ad
spem salutis & vitæ sempiternæ. Idem alius postea di-
xit paulo apertius, ad salutem necessaria esse opera bona
in Christianis. Non placuit, ac condemnatum fuit. Ne-
scio sanè, quid iam deinde non metuendum sit, si in Ec-
clesia CHRISTI necessitas bonorum operum prædicari
non debeat. Aut enim aliqua esse oportet opera Chris-
tiani, aut nulla. Nulla esse nequeunt, cum ociosos do-
ctrina Veritatis non reddat, & in hac vita aliquid sem-
per agatur. Ergo erunt aut bona, aut non bona: quorum
utrum docendum sit, me autore obscurum non est. Sed
nolunt detrahi reconciliationem fidei. non enim detrahi-
tur, sed ita verè attribuitur, cum effectio innocentia &
sanctitatis adiungitur: & istæ nugæ cauillationum &
fomenta cupiditatum malarum, & proclius ad delin-
quendum animi humani titillationes remouentur. Ve-
rùm de his satis. non enim disputationem institui, sed
querelam. Hæc igitur ὡς ἐβόλη quam multos iam ex stul-
tis insanos reddiderit, manifestum est. Quid altera?

Iusti-

Justicia cuiusdam inexplicabilis, non gratia Dei in cre-
dentibus, sed natura. Quantum iam ista ὑπερβολή, quàm
perniciosè turbat? quàm multos inflat opinione cognitio-
nis cuiusdam eximia: sed ἰσοδωμίαν, ut D. Paulus vo-
cat. Semper autem ea quæ ambiguitatem habent, et
mirabiliter pronunciantur, ad sese allicere multitudi-
nem, et quadam persuasione inanißima scientiæ com-
plere, consueverunt. Et ego tamen huius quoq; testis pro-
ducor, vel autor potius dogmatis. Quid altera? licen-
tiæ vulgaris, non libertatis Christianæ? Quid superci-
lij et fastus in despiciendis et infamandis alijs? Quid
aersionis extremæ omnium, non per omnia assentien-
tum ijs quæ fortè aliquibus placuerant, et nouæ atq; into-
lerabilis dominationis ac potestatis, probandi improban-
diuè quicquid dictum aut factum sit ὑψίαν? Quo,
ut supra cæpi dicere, quid sit aliud, quàm primatus ille
vetus, quòd nouo altero permutatur. quasi verò neq;
moderationi locum esse ullum, neq; concedi aliqua in
parte alteri, aut humaniter inseruiri, salua doctrina
Veritatis, sed hostiliter repugnari, et proteruè insulta-
ri oporteat vniuersis. Adde latebras et fugas, et dis-
cursiones, et querendi præsidia, atq; tutum locum, con-
silia et studia. Adde obtrectiones, maledicentiam,
pronunciandi audaciam, castigationis impatientiam.
Adde timiditatem et formidinem, cum ijs præsentibus
colloquendi, quibus absentibus, et falso et sine causa
conuicia indignißimè facta essent. Jam suspicionibus
C indul-

Justicia Oris

*Flavianus au-
di.*

indulgere, morem gerere animo cupido vindictæ, & iri-
tabili ad omnes, & similia, me certè doctore & magi-
stro didicit nemo. Quæ mihi omnia, & his plura, quæ
non putavi referenda, dolorem asserunt ingentem: &
spem in posterum bonam debilitant, atq; frangunt, vel
etiam præcidunt. Quæ ille cùm dixisset, & additurus
alia insuper videretur: ego interpellans, Actum igitur
est, inquam, de nobis, si tu fortissimo animo præditus de-
speras, & tristitiam vincere non potes. Siq; & aduersa-
sarij doctrine tuæ, nihil equi boniue etiam nunc à se obti-
neri sinunt: & qui asseclæ tui haberi se cupiunt, ij causse
nocere reperiuntur. Quò se igitur aliquis nunc vertat,
aut quid spectet, aut ubi consistat, ita dubijs, incertis,
miseris, fluctuantibus ubiq; omnibus? Tum ille leniter
arridens, ut solebat olim, quoties aliquantulum exhila-
ratur: Recordaris ne, inquit, quos aliquando nomina-
rim meos Dominos & herilem cætum? illos videor, in-
quam, meminisse, qui in Ecclesia CHRISTI opibus &
potentia sua abuterentur. Rectè, inquit ille, meministi.
Istis igitur id iam impendet, quod ut cauerent, sæpè mo-
nui. De quibus si quod est peccatum meum, hoc est, quod
saluis ipsis & incolumi illorum statu veritatis doctri-
nam recipi cupiuerim: cùm, ut apparet, propter insana-
bilem eorum contumaciam, Deus ipsos abiecerit, & sta-
tum istum mutari velit. Cuius voluntati opponere se
debet nemo. Non nunc de terrenis imperijs loquor, quæ
& ipsa in his motibus grauius concutientur. Non de sin-
gulo-

atq; iri-
tabili ad
omnes
magi-
stro

gulorum fortunis, quæ non poterunt non & ipsæ in Reipublica naufragijs fluctuare. De Ecclesiastico regno loquor, quod euersum iri affirmo. nam completa ea sunt, quæ ad hunc exitum fuerunt accumulanda. De illis loquor, qui confusis administrationibus, Ecclesiasticos principatus cum ciuilibus commiscuerunt: quiq; religionem & pietatem professi, neq; in veritatis cognitione perstiterunt, & simplicem plebeculam, captam erroribus abstraxerunt quolibet. Et nunc etiam vel quasi non vidente neq; curante Deo, vel nullo omnino numine diuino gubernante omnia, ita securi & animaduersionis diuinæ & iudicij humani viuunt, cum in profanitate irreligiose, tum confidenter in turpitudine & flagitijs. Nunc in hos ergo hæc faba cuditur: & tempus venit, ut iam pridem debitas pœnas peruicacis impietatis persoluant. Quas, quia non cessarunt prouocare iram Dei, noua indies inobædientiæ horribiles esse futuras præuideo: quales non essent, nisi perturbata Rep. & confusis imperijs, & deprauatis sententijs hominum, & incertis iudicijs, deniq; furore & amentia regnante in mundo. O miseros nos, inquam: quis ergo finis erit malorum, aut quis effugere interitum poterit omnium? Quos propitius, inquit ille, Deus, in cognitione veritatis, per tot & tam multiplices offensiones conseruarit, & custodierit in sua caula, quæ est Ecclesia filij ipsius Domini nostri IESU CHRISTI: cui tu permittes cætera, neq; indulgebis solitudini, aut egritudini animi tui, quam comitatur semper impatientia & indi-

*ad hanc hunc tempore
io hominum ad hunc
regit*

gnatio, quibus fides debilitatur, et sepe numero euerti-
tur. Postquam autem incidimus in hos tanquam flu-
ctus, quibus una cum Republica Ecclesia vexatur et
alliditur, nihil relinquitur opis auxiliæ, nisi inuocatio-
nis Filij Dei: si forte hic excitatus precibus piorum, in-
crepet procellas, et sedet tempestatem, qua uniuersis in-
teritum minatur. Adhuc autem restat multum pericu-
lorum et aduersationum: et statum Ecclesiasticum ela-
tum usque ad cælum, infra terras deprimi oportet, ut sub-
limitas maxima ad humilitatem infimam recidat, se-
cundum vaticinia vetera. Speciosum istum statum
nudum destitui oportet, spoliari omni decore et dignita-
te, et fortunis exui, priusquam redeant in viam veri-
tatis, et deserant mendacia, et conuertantur ad Deum
eternum. Sed quid interea fiet, inquam, de simplicibus
et infirmis, et illis quasi pavidis et consternatis ouibus?
Rectè, inquit: an oblitus es Paulini oraculi? cuiusnam?
inquam. Quod extat, inquit, in altera Epistola ad Ti-
motheum, repetitum de Mosis libro IIII: **NOVIT
DEVS SVOS.** Et ipse **CHRISTVS** dixit, suas oues
neminem esse erepturum è manu sua. Temporum autem
ultimorum difficultas Apostolicis scriptis predicta et
demonstrata est. De Ecclesiastico igitur, inquam, præ-
sente statu aliud expectandum nihil, quàm euersio et
destructio? Omnino, inquit, nihil. Sed minus tamen
exitiosa esset mutatio, si ad hanc illi, quibus impendet
periculum, se prepararent. Ita enim scriptum est: Si
in nos

in nos ipsi inquireremus, non fieret de nobis iudicium. Nunc cum iudicium sit de nobis, à Domino castigamur, ne cum hoc mundo condemnemur. Ergo istorum quoque, inquam, resipiscentiae locus relinquitur? Quidni, inquit. Is est enim Deus, qui conseruari salutem velit vniuersorum. Utinam, inquam, intelligant in se deriuari istum quasi amrem calamitatis, et agnoscant tempus respectus sui. Et tu utinam, si quid. Atque inter haec subito experrectus, neque videre, neque audire tale amplius quicquam: et accubans reuoluere animo, quae per quietem atque somnum oblata essent. Ibique incredibili dolore et consternatione sensi commoueri animum meum, inuentem in ea, quae essent ante oculos: et recordantem praeterita, ac futura pertimescentem. Nam ubique ea fieri cernere est, quae omnem spem felicium successuum conuellant, et mirifica confusione dissipent vniuersa. Et in gubernatione enim, quasi tempestate maris nauigium, ita fluctuat Respublica, et sententiae ac voluntates singulorum, tanquam nubes ventis, sic casuum varietate impelluntur atque iactantur. Etsi autem religio monet, patienter et moderatè ferre ea quae diuinitus hominibus quoque tempore immittuntur, et quoties quidam circuitus peraguntur, quibus veluti orbis rerum humanarum conuerti solet, statum publicum in illa mutatione conturbari, atque vna singulorum fortunas concuti et allidi necesse est: tamen cum sensus malorum expers esse cruciatu nequeat, tum quorum ferocia atque immanitas sese

Flavianus diuina
et instrumenta

omniphagus
inter oculos

ministram præbet tristissimis affectionibus, ij merito omnium sanorum iudicio condemnantur. Quemadmodum enim magistratus, carnificum et licitorum necessaria opera ad suppliciorum executionem utitur, et in his tamen crudelitas abominabilis est: ita fieri nequit, quin prouocata ira Dei, hominum diuturno scelere, iustæ tandem animaduersionis pœnas exigat, et aliquos illi hac etiam in parte inservire oporteat: et tamen in his ipsis seuitiam ac inclementiam, neq; Deus, cuius ira per illorum furorem grassatur in alios, probat, et omnes mortales non prorsus amentes execrantur: et qui in hac parte suis cupiditatibus indulgent, propria sepe conscientia corripuntur grauius, et plerunq; finem tam actionum, quam vite sue sortiuntur infelicem et malum. Manifestum autem est, (ut de alijs taceam) quanta sit acerbitas animorum in plurimis, qui se quodam ardore incitari, videri cupiunt, in asserenda religionis sanctitate, et veritate doctrina cœlestis. Neq; conditionem naturæ communis aliqui curant, neq; meminerunt præceptionum caritatis, et tam sollicitæ cohortationis filij Dei ad mutuam dilectionem, neq; tristitia grauissimorum euentuum mouentur, neq; consideratione humanitatis cauent, ne imminentem miseriam et calamitatem non tam impediuisse, quam promouisse videantur. Itaq; quamuis dura et difficilis sit fortuna presentis vite: tamen animus non dementis hominis, vel formidare, vel etiam præfagire deteriora cogitur. Videmus enim

com-

complures partim leuitate & ambitione elatos, partim errore & vanitate seductos, partim etiam natura uehementia impulsos, cum scribendo, tum concionando nihil fermè omittere, quod ad turbas augendas pertineat. Et sanè sit, ut nonnulli aliquo in loco & precio sint in confusione rerum, qui in tranquillitate iacerent ac negligenterentur. Sicut Aristophanes aquis conturbatis anguillas capi ait: cumq; illæ constiterint, non capi. Sed est tamen in multis animi iste impetus, rationis & consilij omnis expers, ut ab amentia non procul absit. Eorum autem qui in Ecclesia dominantur, in primis horrenda est cecitas, cum non vident, neq; re, neq; specie magis vilitati statum suum: sed monumenta pietatis antiquæ, in recentis impietatis officinas esse conuersas. Ipsi verò querentes fulcire ruinam errorum, mendacijs supponendis, hoc modo agunt, ut illa fiat maior & deformior. Nam frustra clamant, seditiosos quosdam reprimi oportere: cum motuum omnium autores sint ipsi, tam desertores doctrinæ, quàm accumulatores vitiorum. Cur hoc, inquiunt, vnus ille, nescio quis, dicere audet? & ut ait Aristophanes, ὄπισσι μέλλει λέγει πάντ' ἅμα; Commo-uit scilicet hanc vocem & impudentia atq; superbia ordinis Ecclesiastici, & impulsio quædam fatalis necessitatis, quæ est sententia iudicij diuini, & in hæc tempora deuoluta executio. Quapropter aculeo à refragantibus impingentur nunc etiam calces, ut sæpe aliàs à contumacibus impacti fuerunt. Sed quoniam, ut vereor, non est molli-

Causæ impu-
Flavianici furo-

pagistæ.

hinc conyiliu
Christiani hoc
non d'p'ntis in
in informada

molliter abitura hac tempesta: etsi in periculo omnes bo-
nos & pios perturbari grauius necesse est: tamen debet
unusquisq; certam spem salutis suae concipere, & omnem
solicitudinem reijcere in Deum: neq; dubitare, quin in
hoc turbine & istis procellis, tamen propitius Deus respi-
ciat ad suos. propter casus autem mirabiles & inexpli-
cabiles cogitatione humana, optimum fuerit animo &
ore silere, neq; in perscrutandis causis euentuum curiosi-
tati locum relinquere, neq; in alijs reprehendendis esse fa-
cilem. Deniq; videre sibi, & castigare seipsum peccan-
tem, & irasci vitijs proprijs, & anniti in sese, ut de fi-
dei Christianae stirpe indies aliquid praecleari fructus pro-
ducatur. Non inhiare alienis negotijs & personis: neq;
alijs iudicandis condemnandisq;, & se absoluendo, a ter-
ni Dei misericordem & benignam affectionem erga se
diminuere, vel etiam penitus excludere. Hoc facere
unicuiq; salutare est futurum. Praefectos autem do-
ctrinae, iam, ut videtur, non tam cum aduersarijs ri-
xari profuerit, quam omne studium in asserenda veri-
tate & instauranda disciplina collocare. Modus enim,
nisi fallor, insectationibus statui tandem potest, ut desi-
nant pij doctores, cum ijs contendere, qui Veritatis vo-
cem audire nolunt. In primis autem cauere hos (mea
quidem sententia) oportebat, ne vulgi leuitatem & tur-
bulentiam disputationibus alienis, vel de gubernatione
publica, vel alijs negotijs, adiunarent, & quasi classi-
cum canerent improbitati & stultitiae inquiete. Ita
enim

flus doctrinae
q' fuerunt

enim rectissimè consuletur populo, si hoc isti agant potissimum, ut dispersus ille rursus congregetur. Quemadmodum enim tempestate inhorrescente, pastores diligentes cogunt pecudes, et condensant gregem, quòd vagæ et solitariae oves fulgure et tonitruo pauefactæ, abortire soleant, interdum prorsus etiam exanimari: ita pios doctores turbulentis temporibus, et in tenebris errorum, maxima cum cura oportet suæ fidei commissos, in consensione veritatis et concordia inter ipsos retinere, ne dissipati ac palantes aliqui, vel conceptam animo religionem effundant, vel prorsus etiam in exitium seducti deferantur. Ad quod opus est circumspeditione et prudentia, et in primis doctrinæ puritate, et disciplinæ severitate. Celeriter enim veritati cum palam admiscetur, tum occultè insinuatur falsitas, et in negligentia atque securitate sinceritas doctrinæ corrumpitur, et aliquid adhaerescit, tanquam in metallis, sordium: etsi ita hæc interdum nitent, ut non agnoscantur à quolibet, et imperiti quædam esse præciosa putent, quæ sunt vitiosissima. Multum autem et in temporibus, et locis, et hominibus in primis positum est in utrunque euentum: de quo nimis esset longum differere, ea quæ hoc loco in mentem mihi veniunt. Cum quidem me his cogitationibus sæpe senserim conturbari, et moueri alios quoque existimem. Res est enim inexplicabilis, cuius inquisitioni indulgendum non est. pietas autem religiosa, quid fiat, animaduertit: et metuens Deum, in fide sancta acquie-

D

quie.

Nota d. agn. abig. talis p. talis p. umbrales

quiescit, neq̄ ultra aliquid vestigat. *Aegyptiacos ritus* Iudaei primum, deinde *Assyrios & Chaldaicos*, postea *& Gracos* implicuerunt in cultum Dei praescriptum à *Mose*. Eversa tandem sedes fuit gentis illius, *& secutum Messiae aeternum regnum*, quod est caeleste regnum *& Dei*. Hoc dum constituitur in terris, *Judaica simul & aliarum gentium vanitas* irrepfit. *Nunquam autem in hac vita perfidia, & defectio & aberratio à veritate non inculcatur*, modò hac, modò illa specie. Oportet enim esse aliquem quasi colorem mendacij, quo pingatur deformitas illius, absq̄ quo esset, statim ad primum conspectum homines ab illo resilirent. Nemo existimet *Baaliticos sacerdotes* professos fuisse religionis depravationem, aut *Phariseos doctrinae*: ut familia *Monachorum* nunc etiam perhiberi volunt, *& doctrina & vita*, se verae esse religionis assertores. Quid, qui unquam tumultuati sunt in Ecclesia, an hoc dixerunt se agere, ut *Dei nomen profanaretur?* aut corrumpere tur doctrina *Veritatis caelestis?* Immo contra, illi *& se solos celebrare Deum, & fulcire quasi aedificium religionis* semper postulant, *& multitudini persuadent*: atq̄ ita colliguntur, qui sequantur sectam eorum. Alijs autem temporibus aliae occasiones offeruntur. Sed ijs quae in terminos imperiorum incidunt, vel una, vel praecipua est, malorum praesentium *& impendentum periculorum*, de quibus ad vulgus tum declamatur, *& horum causa in principum peccata conferuntur*. Dicuntur

tur

Summi p[ro]p[ri]o

tur autem plurima suspiciose & maligne: & insectatione aliorum, atq; culpandis vitijs presidentum, & deploratione communis miserie infatuatur vulgus, & confirmatur petulantia illius: & alitur improbitas, cum unusquisq; gaudeat alterum damnari, & sibi facile ignoscat: & talibus temporibus presentia semper molestissime ferantur: & iudicandi concessa libertas, omnia quorum exitus minus prosperi fuerit, exagitare contumeliose soleat. Ac fiunt tum demum sermones & copiose & splendide, cum aliquid in religionis tractationem implicari verisimiliter perhiberi potest. Hic enim se campus aperit, in quem excurrere vociferationes illae longissime possint, & ubi popularis audientia fieri consuevit. Atq; me non fugit, Veritatis caelestis doctrinam semper esse tumultuosam in terris. Aduersatur enim malis hominum cupiditatibus, & opiniones hominum refutat, & iudicia condemnat. Sed plena discriminis res, & via lubrica, & lapsus proclives sunt. & saepe directo itinere ad angustam illam vitae portam, valvae transeuntur ducentes ad interitum. Aliter. n. profecto tumultuatur praeconium Euangelij: & aliter odij, irae, ambitionis, inuidiae, opinionis falsae aut incertae impulsio. Et recedit tamen omne ad extremum infortunium in eos, qui stabilire errores superstitionis conantur, & exilijs atq; caedibus sauiunt in horum reprehensores: id quod Ecclesiam Christi facere, aut fecisse, nunquam inuenietur. Nam repulsa Veritatis caelestis salutari doctrina, exoriuntur clamores alij,

qui plerunq; reprimi nullo pacto possunt. Atq; ita fiunt
atq; perficiuntur ea, quæ Dei æterni iusto iudicio decretas
pœnas, & continuatione delictorum merita supplicia
complectuntur. Quibus sæpenumero inseruit aliquo-
rum $\delta\eta\mu\kappa\gamma\omicron\varsigma\omega\pi$ & animus inquietus, & turbulenta ora-
tio, à quibus veritatis cœlestis & Euangelij doctrina
paulò inconsideratius obijcitur leuitati vulgari, cum re-
prehendendo vitia constitutionum priorum, tum dissens-
tientes refutando inhumanius. Solet autem omnibus
temporibus vulgus aures facile & libenter præbere ijs,
qui ita ad illud verba faciunt, ut necessitatem observa-
tionum & legum coactionem tollere videantur, cum in-
sita sit naturæ, naturæ deprauatæ illi quidem, & corru-
ptæ prima inobædientia, affectio refragationis atq; con-
tumaciæ: unde fluit, & propensio criminandi alios, &
ut reprehensione alterius quisq; delectetur. Itaq; po-
tissimum capitur multitudo, ea ratione, quæ & constitu-
ta aliquando labefactat, & alios accusando insectatur.
Atq; est in omni quidem doctrina utrunq; necessarium,
ut & errores demonstrantur, & autores usurpatoresq;
illorum notentur. Sed est profectò magna hac in par-
te diligentia & attentione opus, ne quis ita mala medica-
ri aggrediatur, ut reddatur morbus curatione dete-
rior: nèue abducendo à falso, tanquam à fumo, viam
aperiat licentiæ & audaciæ, quæ in ignem deducat. Itaq;
vetus proverbum Græcorum rectè monet, viden-
dū & cauendū cuiq; $\mu\grave{\eta}\ \tau\acute{\omega}\ \tau\epsilon\phi\epsilon\rho\nu\ \phi\epsilon\upsilon\gamma\omega\mu,\ \epsilon\iota\varsigma\ \delta\alpha\nu\theta\rho\alpha\kappa\iota\alpha\nu\ \tau\epsilon\acute{\iota}\sigma\eta.$

Neq;

Neque explicant rem profecto, clamores vehementum et
fortium, qui humane sapientie locum in rebus diuinis re-
linqui oportere negant. Ut enim homines ad sua ratio-
nis intelligentiam, diuinarum cognitionem rerum reuo-
care non decet: ita CHRISTVS ipse, et ad simplici-
tatem adiungi prudentiam, et sepe suos cautos esse, et
cogitantes et attentos, precipit ac iubet. Non autem
certe est is Deus, quem veneratur et colit Ecclesia, qui
tumultuationes ipse et turbas commoueri velit inter
suos: aut cui placeat peruersio ordinis, et vite dissolu-
tio, quam D. Paulus ἀκαταστάσιον nominat. Sed his o-
missis redeamus eò, unde quasi euagati sumus: comme-
morantes ea quæ diligenter esse considerata arbitrare-
mur uniuersis. Tota igitur res vertitur in eo, ut et
doctrina incorrupta sit, ad quod religioso studio opus est:
neue disciplina dissoluatur, quam integritas vite et mo-
rum sanctitas conseruat. Sed ut hæc constitui aliquo
modo potest in sincera etiam doctrina, ita nihil est om-
nium, quod doctrinae cursum magis remoretur, quam ne-
glectæ discipline offensio. Quod utinam considerarent
plurimi: et in hoc non oris, ut ait Comædia, sed ani-
mi speculum intuerentur. Non enim est futilis, neque par-
ua res, curare in Ecclesia Christi. Sed siue multi seu
pauci hoc agant, spes omnis felicitatis istinc pendet, vel
communis omnium, vel propria aliquorum. Quorum,
et inter hos meo, nomine te oro IESV CHRISTE fi-
li Dei æterni, ut sancto spiritu tuo omnium qui te inuo-

*Humana sapi-
entia & quatuor di-
in rebus diuinis*

cant & adorant, fideliter animos & in cognitione Veri-
tatis confirmare, & ad cogitationes sanctas ac bonas, &
voluntatem ad utiles alijs actiones dirigere atq; dedu-
cere velis: & iubere interdum scintillam aliquam lu-
cis tue apparere in his densissimis tenebris, cuius conspectu
corda afflicta recreentur, & tue presentie consolatione
sustententur, ne in hac vita debilitati & fracti, anxie-
tate atq; mærore conficiantur: ne hesitatione eiekti, in
diffidentia quasi pelago demergantur: & ut tranquilli-
tate reddita, te adesse sciant: & hinc migrantes, à te in
domum patris tui clementer recipiantur. Cum quo, in
sancti spiritus unitate vivis, & regnas, unus,
solus, eternus, omnipotens, iustus, miseri-
cors, fortis DEVS, sine fine,
Amen.

Scrib. Id. VIII br. An-
no Christi M. D. LIII.

IOHANNES STURMIVS

IN LIB. ACADEMICO F. J. FACIE 2.

congruens cum eo quod supra poni-
tur B 4. facie 1.

*Memini me ante aliquot annos in quadam Luteri
epistola legere: quæ est in Bibliotheca Conradi Huber-
ti: ad Vuolfgangum Capitonem: Nihil sibi suorum
scriptorum placere: præter Catechismum suum: Et li-
brum de seruo arbitrio.*

79. 1724 BK

JOHANNES STURMIVS
IN LIA ACADEMICO L. PARIS 2
CONGRUENTIAE CATHOLICAE
DEI 1724

Thomae per unum aliquot annos in schola
epistola legit: quae in Bibliotheca Coenaculi
in schola epistolarum Catholicae: Typis
typographiae hujusmodi Catholicae
in schola hujusmodi


M.C.



X220593A







2.195. (19)
195

Vg
1324

Querela
D. MARTINI
LUTERI, SEV
SOMNIVM.



CLEMENTIS AL.
ἀνίκητῳ ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται.

GORLICII
Ambrosius Fritsch excudebat.

Anno
M. D. LXXX.

